Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img
src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">

sermo meus non capit in vobis. Ego
quod vidi apud patrem loquor: et
vos quæ vidistis apud patrem vestrum
facitis. Responderunt et dixerunt
ei. Pater noster Abraham est.
Dicit eis Jhesus. Si filii Abrahæ es-
tis: opera Abrahæ facite. Nunc autem q
ritis me interficere: hominem qui veri-
tatem vobis locutus sum quam audivi
a deo. hoc Abraham non fecit. Vos
facitis opera patris vestri. Dixerunt
itaque ei. Nos ex fornicatione non su-
mus nati. Unum patrem habemus
deum. Dixit ergo eis Jhesus. Si deus
pater vester esset. Diligeretis vti-
que me. Ego enim ex deo processi et ve-
ni. Neque enim a me ipso venio: sed
ille me misit. Quare loquelam
meam non cognoscitis. Quia non po-
testis audire sermonem meum. Vos
ex patre diabolo estis: et desideria
patris vestri vultis facere. Ille homi-
cida erat ab initio: et in veritate non stetit: quia non est veritas in
eo. Cum loquitur mendacium: ex propriis
loquitur. quia mendax est et pater
eius. Ego autem quia veritatem dico
non creditis mihi. Quis vobis ar-
guet me de peccato. Si veritatem dico
quare vos non creditis mihi. Qui
est ex deo verba dei audit. Propte-
ea vos non auditis: quia ex deo
non estis. Responderunt ergo iudei:
et dixerunt ei. Nonne bene dicimus
nos. quia samaritanus es tu: et
demonium habes. Respondit Jhesus
Ego demonium non habeo: sed ho-
norifico patrem meum: et vos inho-
norastis me: Ego autem non quæro
gloriam meam. Est qui quærit et
iudicat. Amen amen dico vobis:
Si quis sermonem meum servaverit:
mortem non videbit in æternum.
Dixerunt ergo iudei. Nunc cognovi-
mus: quia demonium habes. Abra-
ham mortuus est: et prophetæ
et tu dicis. Si quis sermonem meum
servaverit non gustabit mortem in
æternum. Numquid tu maior es pa-
tre nostro Abraham qui mortuus est
et prophetæ mortui sunt. Quem te ipsum
facis. Respondit Jhesus. Si ego glo-
rifico me ipsum: gloria mea nihil est
est pater meus qui glorificat me
quem vos dicitis. quia deus noster
est. et non cognovistis eum. Ego autem
noui eum. Et si dixero. quia non sci-
eum: ero similis vobis mendax. Sed
scio eum. et sermonem eius servo. Abra-
ham pater vester exultavit ut vide-
ret diem meum: et vidit. et gavisus
est. Dixerunt ergo iudei ad eum.
Quinquaginta annos non dum habes
et Abraham vidisti. Dixit eis Jhesus
Amen amen dico vobis: antequam
Abraham fieret ego sum. Tulerunt
ergo lapides ut iacerent in eum
Jhesus autem abscondit se: et exivit
de templo:-

Et præteriens Jhesus vidit
hominem cecum a nativitate: et
interrogaverunt eum discipuli
eius. Rabbi quis peccavit. hic a-
parentes eius. vt cecus nasceretur
Respondit Jhesus. Neque hic peccavit
neque parentes eius: sed ut mani-
festentur opera dei in illo. Me oportet
operari opera eius qui misit me
donec dies est. Venit nox: quando
nemo potest operari. Cum in mundo sum
in mundo. lux sum mundi. Hæc cum
dixisset expuit in terra et fecit
lutum ex sputo: et linivit lutum super
oculos eius: et dixit ei. Vade la-
va in natatoria siloe: quod in-
terpretatur missus. Abiit ergo et la-
vit: et venit videns. Itaque vi-
cini et qui viderant eum prius quia
mendicus erat dicebant. Nonne hic
est qui sedebat et mendicabat
Alii dicebant quia hic est: Alii autem
nequaquam: sed similis est eius. Ille